

1593 *venientibus aditum obstruat, summis laudibus videtur excipienda sententia; ita etiam paribus rationibus niteretur, ut facile excitari, defendi, hostiumque impetus ab Italia avertere arx posset: tot præstantissimorum Senatorum sententiae, qui, matura consultatione adbibita, decretum hoc ad Senatum retulere, minime adversarer. At cum ejusmodi consilium, quo magis plausibile ac speciosum, eo majoribus implicitum difficultatibus animadvertisse, cohibere me nequeo, quin ea, quæ sentio, libere enunciem. Nam valde vereor, ne, dum Carnorum securitati consulimus, eam non modo provinciam, verum terrestre totum imperium in manifesta pericula conjiciamus; dumque novam arcem nostrarum ditionum tuitione molimur, potentissimi hostis in nos vires eliciamus; qui, si alias in has regiones aliquo incolarum damno cum penetrasset, sese recipere ac referre pedem est coactus, si modo bac, quam meditamur, munitione casu aliquo potitus fuerit, quis ambigat, inde illum exturbare ac pellere difficillimum atque arduum fore? Sed ut cominus ad rem accedam, adversus quos novam hanc arcem excitare in animo est? An eam christianis Principibus objicimus? minime vero: cum omnibus namque amicitiam ex majorum instituto Respublica colit; atque cum iis præsertim, qui Carnis finitimi sunt. An Turcis? borum sane si incursus tantum pertimescimus, cur certo sumptu, incerta spe ingentem hanc molem erigere volumus? Si, ne cunctis conatus Italianam aggrediantur, veremur, quis dubitet cunctos Europæ, ne dum Italie, Principes ad eam propugnandam terrestribus copiis classibusque conventuros; hostem vel præventuros vel aversuros, quo multis in locis distentus, sejunctis copiis, debilior atque infirmior fiat? Tunc profecto montium aditus, amnium trajectus occupandi erunt; quod sane tutius mihi videtur, quam hostem domo excipere, atque cum eo in propria regione dimicare. Qui si, nemorum impedimentis, montium angustiis, amnium aquis superatis, ordinato atque instructo potentissimo exercitu, novam hanc arcem vel circumcidere vel expugnare sibi in animum induixerit, an non verendum erit, ne infinito prope suorum numero septus, aggeribus, fossis, propugnaculis munitus, immanium tormentorum*

*ejacu-*